

remissionis peccatorum, ita ut non præcedat eam remissionem ullo spatio temporis, nam Deus diligentes se diligit. *Et qui diligit me* (inquit Dominus, Joan. cap. xiv.) *diligetur a Patre meo* (1). Et peccatrici remissa sunt peccata multa, *quoniam dilexit multum*, Lucæ cap. vii. Quare si posset homo suis viribus semper diligere Deum super omnia, posset sine ulla Dei gratia præveniente pertingere ad remissionem peccatorum. Quæ est ipsissima hæresis Pelagii ex Augustino in lib. i. ad Bonifacium cap. ult. Sed probemus etiam duabus aliis rationibus, non solum dilectionem Dei super omnia viribus naturæ haberi non posse, sed neque dilectionem non super omnia, id est, inchoatam et imperfectam.

Tertia ratio. Nullum opus pietatis fieri potest solis naturæ viribus, neque contrarium affirmari sine hæresis periculo, demonstratum est in quarto capite. At dilectio Dei, quamvis ut auctoris naturæ, et imperfecta atque inchoata opus est pietatis, ut S. Augustinus docet in epist. 29. ad Hieronymum, qui sic ait: « Pietas est cultus Dei, qui præcipue diligendo exhibetur. » Igitur omnis dilectio Dei eget auxilio gratiæ, ut haberi possit a nobis. Neque responderi potest, dilectionem illam solam esse pietatem, quæ fertur in Deum, ut auctorem beatitudinis. Nam etiam in puris naturalibus teneretur homo Deum colere, quamvis tunc nulla esset felicitatis æternæ promissio. Neque dubium est, quin pietatis cultus debeatur Deo, quia Deus est, id est, summum bonum, principium primum, et finis ultimus omnium rerum, quod certe illi conveniret, etiamsi supernaturalem beatitudinem largiri nemini voluisset.

Quarta ratio. Omnis dispositio ad justificationem ex dono Dei, et gratia illius præveniente oritur, ut satis probatum est in quinto capite. At quævis dilectio, quantumvis parva, et inchoata, est dispositio ad justificationem, cum sit conversio, vel certe conversionis initium; igitur sine dono Dei, et gratia illius præveniente haberi non potest. Neque vero necesse est, ut dilectio Dei feratur in Deum ut auctorem beatitudinis, ut dici possit conversio. Nam quemadmodum aversio a Deo, ut auctore naturæ, vera est aversio, ita conversio ad eundem, ut auctorem naturæ, est vera conversio.

(1) Joan XIV, 21.

CAPUT VIII.

Solvuntur argumenta contraria.

At contra objiciunt quidam has rationes. Prima ratio. Dilectio Dei super omnia est homini naturalis, nam inclinatur voluntas naturaliter ad bonum, et magis inclinatur ad majus bonum, et maxime ad maximum, proinde inclinatur super omnia ad summum bonum, quod est Deus: cur ergo non possit homo suis viribus diligere Deum super omnia, saltem ut auctorem naturæ, cum id sit maxime secundum ejus naturam?

Respondeo: dilectio Dei super omnia naturalis est, quod attinet ad inclinationem naturæ, quæ manet in homine per modum actus primi, neque est aliud, quam ipsa propensa ad bonum: tamen non potest in actum secundum prodire propter naturæ corruptiōnem, sine auxilio gratiæ Dei. Neque necesse est, ut ubicumque est inclinatio naturalis, sint etiam vires sufficientes per se ad actum illum perficiendum, ad quem natura propendet. Nam humana anima, a corpore separata, naturaliter propendet ad corpus, nec tamen suis viribus potest iterum cum corpore copulari: et juxta multorum sententiam naturaliter inclinatur mens hominis ad Deum videndum, nec tamen potest suis viribus Deum videre.

Secunda ratio. Amor Dei sive amicitia, sive concupiscentiæ, oritur ex amore sui. Nam (ut Philosophus docet) amabilia, quæ sunt ad alterum, oriuntur ex amabiliibus, quæ sunt ad se. Itaque diligit homo Deum, amore concupiscentiæ, quia intelligit in ejus visione summum suum bonum positum esse: Diligit eundem amore amicitia, quia novit illum esse quasi alterum se, vel potius aliquid amplius, cum ipse sit quasi pars, et Deus quasi totum. At amor sui habetur sine auxilio gratiæ, igitur et amor Dei, qui (ut diximus) initium ducit ex amore sui.

Respondeo: amor Dei, ut auctoris naturæ, oritur ex amore sui, non quocumque sed ordinato, id est, quo quis amat se, ut partem, ut creaturam, ut figmentum Dei. Amor enim sui inordinatus, qui in sacris litteris cupiditas dicitur, non parit amorem, sed contemptum Dei, ut S. Augustinus docet in lib. 14.

de Civit. Dei cap. ult. facit enim amor sui inordinatus, se ipse quasi totum et principium, ac finem omnium rerum. Porro amor sui ordinatus non ex natura corrupta existit, sed inspiratur a Deo corrigente, atque sanante naturam. Itaque S. Joannes in i. epist. cap. iv. *Diligamus*, inquit, *invicem, quia charitas ex Deo est* (1). Ubi dilectionem proximi, ac per hoc etiam dilectionem sui ordinatam, ex qua nascitur dilectio proximi, dicit esse a Deo.

Tertia objectio. Naturalis ratio dicit, Deum esse super omnia diligendum. Potest autem voluntas elicere actum conformem judicio rationis; nam alioqui necessario eligeret malum, vel actum suspenderet, ac per hoc vel esset necessario mala, vel certe non libera.

Respondeo, Deum esse super omnia diligendum, ratio dicit universali quodam judicio, a quo sæpe voluntas recedit, juxta illud: *Video meliora, proboque, deteriora sequor*. At judicium particulare, quod hic et nunc dicit, Deum a me super omnia diligendum, non potest haberi sine auxilio gratiæ, quoniam pendet ex inclinatione voluntatis, et ad salutem, et pietatem perfinet. Quod autem non possit homo, sine gratiæ adjutorio, velle diligere Deum super omnia, licet universale judicium dicit, ita esse faciendum, non est argumentum, voluntatem esse necessario malam, aut non liberam, sed infirmam, magisque corruptam, quam sit ratio.

Quarta objectio. Potest homo diligere proximum super omnia, ita ut etiam pro illo se morti objiciat, quod sæpe faciunt parentes pro filiis; potest item infidelis diligere Deum secundum suam hæresim, aut perfidiam cognitum, ita ut pro illo etiam moriatur, quod interdum in hæreticis et Judæis cernimus: potest denique aliquis patriam suam diligere, plus quam se, quod ex historiis novimus, multos fecisse Romanorum, qui se pro patria morti certissimæ obtulerunt: cur igitur non possit homo eadem ratione diligere Deum verum super omnia, sine auxilio gratiæ?

Respondeo: facilius est diligere seipsum, aut aliam creaturam super omnia, quam Deum; tum, quia sensibilia melius cognoscuntur; unde Joannes ait, in i. epist. cap. iv: *Qui non diligit fratrem, quem videt, Deum, quem non videt, quomodo potest diligere* (2)?

(1) I Joan. IV, 7. — (2) I Joan. IV, 20.

Tum etiam, quia natura corrupta semper inclinatur ad se, et sua. Porro, qui pro suis hæresibus, aut pro patria moriuntur, se ipsos quærunt, id est, gloriam propriam, quarum præcipue Romani inter ethnicos, et hæretici inter infideles avidissimi semper fuerunt. Vide Augustinum in lib. de patientia cap. 16 et 17. ubi simile argumentum solvit, et inter alia sic loquitur: « Qui hæc dicunt, non intelligunt quemque iniquorum, tanto esse ad quæcumque mala toleranda duriorum, quanto in eo major est cupiditas mundi; et quemque justorum, tanto esse ad quæcumque mala perferenda fortiorum, quanto in eo est major charitas Dei. Sed cupiditas mundi initium habet ex arbitrio voluntatis, progressum ex jucunditate voluptatis, firmamentum ex vinculo consuetudinis: Charitas autem Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis. »

Adde, quod si quis vere pro patria moretur, non gloriam suam, sed patriæ salutem potissimum quærens, is, quamvis infidelis, non sine auxilio speciali id facere credendus esset. Tametsi enim mori pro patria sit opus morale, tamen est arduum, ac difficile, et ideo a natura infirma, et ad seipsam diligendam prona præstari nequaquam potest.

Quinta objectio. Potest homo peccator, sine auxilio gratiæ, velle Deum esse Deum, se autem non esse Deum, sed hominem; igitur potest sine auxilio gratiæ, Deum magis amare, quam se.

Respondeo: vult homo peccator Deum esse Deum, quia non potest prohibere, quominus ita sit. Alioqui enim magis vult se hominem, et talem hominem esse, quam Deum, Deum esse. Atqui hoc est vitam suam Deo præferre, seque ipsum magis amare, quam Deum.

CAPUT IX.

Proponitur sententia hæreticorum de libertate arbitrii in iis, quæ pertinent ad salutem.

Sequitur quæstio postrema, si sine homo post lapsum primi hominis vere liberi arbitrii in iis rebus, quæ pertinent ad salutem, ut quamvis nihil possit sine auxilio gratiæ, tamen per gratiam prævenientem excitatus, et a Deo adjutus, ita valeat operari, ut possit etiam non operari.

Hic primum se offert crassus Lutheri error, quem etiam Lutherani postea erubuerunt. Hæc enim sunt ejus verba, ex digressionem quadam libri, qui inscribitur, Operationes in Psalmos: « Error est, quod liberum arbitrium habeat aliquam activitatem in bono opere, quando de interno opere loquimur. Velle enim illud, quod credere, sperare, diligere jam diximus, motus, raptus, ductus verbi Dei, et quadam continua purgatio, et renovatio mentis et sensus, de die in diem, in agnitionem Dei, licet non semper æque intensa sit illa passio, tamen semper est passio. Ecce (inquit Hierem. cap. 18.) sicut lutum in manu figuli, ita et domus Israel in manu mea. Quid, obsecro, activitatis habet lutum, quando figulus formam ei affigit? nonne mera passio ibi cernitur? »

Hæc certe sententia absurdissima est. Nam velle est actus immanens et vitalis, sicut intelligere et videre. Proinde principium activum ejus actus, debet esse ipsa voluntas. Neque est opus alia refutatione, tum, quod similem sententiam satis copiose refutaverimus in lib. III. de gratia et libero arbitrio cap. 10. tum, quod ipsi etiam Lutherani, Lutheri verba potius in alium sensum detorque, quam defendere maluerint. Certe Kemnitius in Examine Concilii Tridentini, prope finem censuræ, in sextam sessionem, dicit, dandam esse Luthero veniam, quod in primordiis conversionis suæ, adhuc retineret phrasas Scholasticorum, quibus longo tempore assueverat, quamvis in re nihil erraverit: cum per id, quod scripsit, voluntatem solum passive concurrere ad ejusmodi actiones, nihil aliud significare voluerit, nisi non libere concurrere.

Sed miror imprudentiam, sive impudentiam Kemnitii. Nam si Lutherus Scholasticorum phrasim, in ea digressionem retinuit, sine dubio per illa verba, « passive concurrere », non intellexit, non libere concurrere, sed non esse causam activam, sed solum receptivam illius actionis. Nulli enim sunt, qui magis studeant proprietati, et (ut ipsi loquuntur) formalitati verborum, quam Scholastici.

Deinde Lutherus duobus exemplis ita suam ipse sententiam explicat, ut nullus dubitationi relinquatur locus. Adfert enim primo similitudinem luti, in quo (ut ipse notat) nulla est activitas. Deinde adducit similitudinem gladii, qui dum manu alicujus agitur, ad motum suum non concurrat, nisi

passive, quamvis ad sciendum ligna, vel quæcumque alia, active concurrat. Qua similitudine significare voluit humanam voluntatem non concurrere, nisi passive, ad motum suum, id est, ad volendum, tametsi active concurrat ad opera externa, quæ ex imperio voluntatis fiunt, qualia sunt, ambulare, loqui, manducare, bibere, aliaque id genus.

Denique ipse Kemnitius (ut ejus stultitiam admireris) explicat in eodem loco, quid sit passive concurrere, juxta phrasas Scholasticorum, ac dicit, esse, cum subjectum nihil agit in motu, vel forma, quam recipit, sed tantum patitur. At si istud est passive concurrere, secundum phrasim Scholasticorum, et Lutherus phrasim Scholasticorum retinuit, cum scripsit, voluntatem tantum passive concurrere in actionibus bonis: igitur in ea sententia Lutherus fuit, ut existimaret, voluntatem nihil agere in actionibus bonis, sed tantum pati, cur igitur eum Kemnitius excusare conatur?

Hæc igitur sententia omissa, Calvinus et Kemnitius duo docent, primo, voluntatem nostram nihil omnino boni spiritualis, et salutaris, efficere posse, sine auxilio gratiæ Dei. Atque in hac re recte sentiunt, sed non recte contrariam sententiam Catholicis attribuant. Scribit enim Calvinus lib. II. Instit. c. 2. §. 27. et Kemnitius in Exam. 6. sess. Concilii Trident. communem Scholasticorum sententiam esse, ante gratiam præcedere in homine quadam bona desideria, quamvis debilia. Sed hæc non Scholasticorum, sed Cassiani et Fausti sententia fuit, quam S. Thomas et S. Bonaventura, Gregorius Ariminensis, Joannes Capreolus, et alii Doctores Scholastici repudiant ac refellunt. Et tamen Calvinus et Kemnitius multum laborant in ea re nobis probanda, quam nos ipsi non solum ex Scripturis, sed etiam ex Pontificum rescriptis, et Conciliorum decretis copiose probamus.

Secundo docent, voluntatem nostram in bonis pietatis operibus sic agi a Deo, ut non possit non agere, et quamvis ipsa quoque concurrat active, quoniam ipsa est, quæ actionem producit, tamen concurrere ut merum instrumentum Dei naturale, non ut causam liberam, et dominam sui actus. Ex quo colligunt, non proprie dici, voluntatem nostram cooperari Deo, vel adjuvari a Deo: quemadmodum non recte dicitur calamus cooperari manui, vel juvare manum ad

scribendum, sed solum agi, ac moveri a manu, quamvis revera ipse litteras pingat.

Sed verba ipsa Calvinus audiamus lib. II. Instit. cap. III. §. VII. sic ait: « Sed erunt, qui concedent voluntatem a bono, suoque ingenio adversam, sola Domini virtute converti, sic tamen, ut præparata suas deinde in agendo partes habeat ». Et infra: « Sed hoc perperam homini tribuitur, quod gratiæ prævenienti pedissequa voluntate obsequatur ». Et §. 44. « Ac voluntatem, inquit, movet, non qualiter multis sæculis traditum est et creditum, ut nostræ postea sit electionis motioni aut obtemperare, aut refragari, sed illam efficaciter efficiendo ». Similia scribit in lib. III et VI adversus Pighium, et in Antidoto Concilii sess. VI cui subscribit Kemnitius in Examine ejusdem Concilii, eandem sextam sessionem reprehendens.

CAPUT X.

Probat ex divinis litteris liberum arbitrium in actionibus piis et salutaribus.

Adversus hunc hæreticorum errorem, quo voluntatem nostram in operibus piis et salutaribus, omni libertate spoliant, adferemus primum testimonia Scripturarum, deinde etiam veteris Ecclesiæ traditionem.

Primum testimonium sumitur ab illis locis, in quibus dicuntur homines in operibus pietatis operarii, edificatores, plantatores, rigatores, cooperatores et coadjutores Dei. Nam si homines proprie nihil agerent per liberum arbitrium, sed tantum ducerentur et moverentur, ut mera instrumenta, non deberent appellari cooperatores et coadjutores Dei, sed ligones, rastra, secures, et alia id genus. Matth. XX. *Voca operarios, et redde illis mercedem* (1). Hic certe operarii dicuntur, qui bona opera, ad salutem conducentia, peregerunt. I ad Corinth. III. *Ego plantavi, Apollo rigavit, Deus autem incrementum dedit*. Et ibidem: *Unusquisque mercedem accipiet secundum suum laborem. Dei enim sumus coadjutores* (2). Ubi duo vocabula notanda sunt, pronomen (Suum) et nomen (Coadjutores). Nam si recte labor dicitur noster, certe nos ipsi Domini sumus illius actionis, quam laborando effecimus.

(1) Matth. XX, 8. — (2) I Cor. III, 6. — (3) Gen. III, 19. — (4) Mac. XVI, 20. — (5) Rom. VIII, 28.

Nec valet Calvinus objectio, qui lib. II Instit. cap. V. §. XIV. ut ostendat pronomen suum, vel nostrum, non significare dominium, objicit illud: *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie*, ubi noster dicitur panis, quem nobis donari cupimus, quia titulo donationis fit noster, non quia nos illum libere fecerimus. Hæc, inquam, objectio nihil valet, imo potest in auctorem apertissime retorqueri. Nam, ut aliqui veteres recte exponunt, panem, quem nobis dari petimus, nostrum vocamus, quia nolumus panem alienum furari, sed nostro labore illum acquirere, Deo juvante, ut simul impleamus illud Gen. III: *In sudore vultus tui, vesceris pane tuo* (3). Itaque noster dicitur panis, ratione proprii laboris, et tamen dono petitur ratione divini adjutorii, sine quo inutilis esset nostra omnis industria.

Neque potest Calvinus rejicere hanc expositionem cum ipse quoque lib. III. Instit. cap. XX. §. 44. exponat eam petitionem de pane corporali. Adde, quod Apostolus pro eo, quod nos habemus, secundum suum laborem, scripsit græce, κατὰ τὸν ἴδιον κόπον, id est, secundum proprium laborem, in Evangelio autem Matth. VI et Luc. XI. ubi habetur oratio Dominica, non est ἴδιον ἀπὸν, sed ἀπὸν ἡμῶν, panem nostrum, non panem proprium. Magis autem explicat liberam actionem illud, « proprium », quam illud, « nostrum ».

Alterum vocabulum est, Coadjutores, in Græco συνεργοί, id est, cooperatores, qua voce nulla fingi potest aptior. Eadem vero utitur Marcus cap. ult., ubi dicit de Apostolis: *Illi vero profecti, prædicaverunt ubique, Domino cooperante* (4). Ubi illud quoque notandum est, cum agitur de prædicatione, in qua requiritur opus humanum et liberum, dici, *Domino cooperante*: cum vero agitur de miraculis, quæ non sunt in potestate hominum, sed fiunt a Deo per homines, ut mera instrumenta, non dici, *Domino cooperante*, sed, *Domino confirmante sermonem sequentibus signis*; ubi miracula simpliciter tribuuntur Deo, licet per homines fiant, quoniam non pendunt ex libero arbitrio.

Alius locus est ad Rom. VIII: *Diligentibus Deum, omnia cooperante in bonum* (5); ubi Græca lectio duplicem sensum ostendit, nam illud συνεργεῖ, potest referri ad nomen, « omnia », et tunc reddendum est, cooperantur,

et sensus est, diligentibus Deum, omnia esse utilia, et cooperari ad salutem. Hunc sensum facit lectio latina vulgata, quæ reprehendi non potest, cum non sit inusitatum apud Græcos, conjungere nominativum numeri multitudinis, cum verbo numeri singularis: sed potest etiam aptissime referri verbum illud συνεργεῖ ad nomen πνεύμα, quod præcedit, ut sensus sit, diligentibus Deum, Spiritus sanctus in omnibus cooperatur ad bonum.

Neque hunc sensum adversarii rejicere possunt. Nam est omnino ad propositum, ut intelliget, qui locum ipsum leget. Et præterea est simplicior, cum συνεργεῖ sit numeri singularis, et non sit opus recurrere ad atticisimum, quod tamen oportet, si conjungatur verbum numeri singularis, cum illa voce, πάντες, quæ est numeri multitudinis.

Denique hanc lectionem, et hunc sensum sequuntur ex Græcis, Theodoretus in comment. hujus loci, et ex Latinis, S. Augustinus lib. de correptione et gratia cap. 9 et fortasse fieri potuit, ut Latinus interpret verterit, cooperatur, et vitio Scriptorum accesserit una litera et factum sit, cooperantur. Spiritus igitur secundum hunc sensum, quem (ut dixi) adversarii repudiare non possunt, et Petrus Martyr, et Erasmus in comment. repudiare non audent, cooperatur nobis in omnibus operibus sanctis et salutaribus.

Alterum testimonium sumitur ex illis locis, quæ imperant, aut suadent hominibus opera pietatis, et ipsam etiam conversionem ad Deum, de qua maxime litigant adversarii. Stultum enim esset imperare, aut suadere ejusmodi opera ei, qui non haberet arbitrii libertatem, ut in libro superiore disputabamus de præcepto et suasionem operum moralium. Zachar. I: *Convertimini ad me, et ego convertar ad vos.* Joel. II: *Convertimini ad me in toto corde vestro.* Hierem. III: *Tu fornicata es cum amatoribus plurimis, verum tamen revertere ad me.* Ezechiel. XVIII: *Facite vobis cor novum et spiritum novum.* Isai. I: *Lavamini, mundi estote.* Joan. VI: *Operamini non cibum, qui perit, sed qui permanet in vitam æternam.* Et petentibus Judæis: *Quid faciemus, ut operemur opera Dei?* respondet Dominus: *Hoc est opus Dei, ut credatis in eum, quem misit ille* (1).

(1) Zach. I, 3; Joel. II, 12; Hier. III, 1; Ezech. XVIII, 34; Isai. I, 16; Joan. VI, 27. — (2) Col. III, 9; Phil. II 12.

Itaque ipsum credere, quod est opus Dei jubet Dominus, ut nos ipsi operemur, ac per hoc jubet, ut Deo in hoc opere coopere-mur. Ad Colossens. III: *Exuite veterem hominem, et induite novum.* Ad Philip. II: *Cum metu et tremore salutem vestram operamini, Deus enim est, qui operatur in vobis* (2). Quid hoc est aliud, nisi cooperamini Deo salutem vestram in vobis operanti?

Respondet Calvinus lib. II. Instit. cap. 5. § 14. ista omnia loca nihil aliud sibi velle, nisi non moveri nos a Deo, tamquam stipites, ac truncos, sed tamquam homines mente, et ratione præditos, quamvis necessario moveamur, nec possimus aliud agere, quam id, quod Deo movente agimus. At si Deus ita nos movet, ut non sit in nobis agere, et non agere, quorsum illa præcepta et suasiones? Nam etiam ignis, cum applicatur ad ligna, non movetur instar trunci, nihil agentis, vere enim ignis comburit ligna; et equus, cum ei adhibentur calcaria, non movetur instar stipitis, vere enim equus ambulat; et tamen quis, nisi amens, imperaret, vel suaderet igni, ut combureret, aut equo, ut ambularet? At ignis et equus, non sunt mente et ratione præditi. Cur igitur nemo imperat, aut suadet homini, ut velit esse beatus, aut miser? nisi quia novit, non posse hominem mente et ratione præditum, non amare beatitudinem, aut non odisse miseriam, cum ad hæc arbitrii humani non sit ulla libertas. Præcepta igitur et suasiones etiam in hominibus esse demonstrant.

Deinde, quando Scriptura dicit: *Deus operatur velle et perficere.* Et: *Deus operatur omnia in omnibus.* Et: *Dabo vobis cor novum, et spiritum novum.* Et cum nos Deo dicimus: *Converte nos Deus salutaris noster,* adversarii contendunt ejusmodi testimoniis significari, Deum vere et proprie agere, et operari nostras actiones bonas. Cur igitur, quando Scriptura dicit: *Operamini vestram salutem. Facite vobis cor novum, et spiritum novum; Convertimini ad me, et convertar ad vos;* non patiuntur, ut eodem modo ista eadem vocabula intelligantur, et nos vere, proprieque dicamur, operari nostras actiones bonas? Est ne hoc Verbum Dei sequi, an illud pro arbitrio ad proprias hæreses detorquere? Tertium testimonium sumitur ex locis

illis, quæ docent, nos a Deo juvari in operibus pietatis. Non enim proprie juvari dicitur est, qui nihil agit, sed qui laborat in agendo. Psal. XXVI: *Adjutor meus esto, ne derelinquas me.* Psal. LXIX: *Deus in adjutorium meum intende, Domine ad adjuvandum me festina.* Ad Roman VIII: *Spiritus adjuvat infirmitatem nostram. Nam quid oremus sicut oportet, nescimus, sed Spiritus postulat pro nobis, gemitibus inenarrabilibus* (1). Quo loco agitur de oratione, quæ est actio maxime pia et salutaris, quam Spiritus sanctus operatur in nobis, dum facit nos orare, ac genere, sed quia non facit id solus, sed nobiscum, ideo posuit Apostolus illud verbum: «Adjuvat,» quod in Græco multo est significantius. Nam συναρπάζονται, qua voce B. Paulus utitur, proprie dicitur de iis, qui quasi e regione manibus capiunt onus, ut laboranti succurrant. Denique ut alia multa præteream I. ad Cor. XV. Plus, inquit Apostolus, omnibus laboravi, non autem ego, sed gratia Dei mecum (2).

Ad hunc postremum locum respondet Calvinus his verbis in lib. II. Instit. cap. 3. §. 12. «Ad hanc, inquit, festucam, mirum est, tot non malos alioqui homines impigisse. Non enim gratiam Domini secum laborasse scribit Apostolus, ut se consortem laboris faciat. Quin potius totam laboris laudem uni gratiæ transcribit ista correctione. Non ego, ait, sum is, qui laboravi, sed gratia Dei, quæ mihi aderat. Fefellit autem eos locutionis ambiguitas, sed magis præpostera versio, in quavis Græci articuli prætermissa fuit. Nam si ad verbum reddas, non dicit, gratiam sibi fuisse cooperatricem, sed gratiam, quæ sibi aderat, omnium fuisse effectricem». At nisi Calvinus novum textum Græcum sibi cudat, ac nobis obtrudat, non persuadebit unquam istam expositionem suam iis, qui aliquid norint. Nam Græca verba hæc sunt: ἀλλὰ ἡ χάρις τοῦ θεοῦ ἡ ἐν ἐμοί, quæ ad verbum hoc sonant: Sed ipsa gratia Dei, quæ «mecum» videlicet «est». Illud autem, «mihi aderat», vel «in me erat», viderit Calvinus unde sumpserit. Certe ἐν ἐμοί, non potest simpliciter reddi, quam «mecum», ut vulgatus interpret reddidit. Cur autem non dixit Apostolus, gratia quæ est in me, sed, gratia quæ mecum est, nisi ut ostenderet, gratiam nobiscum laborare, non so-

lam operari? Respexit enim ad illud Sapient. IX: *Mitte illam de caelis sanctis tuis, ut mecum sit, et mecum laboret* (3). Quare S. Augustinus, cui cedere, velit nolit, debet Calvinus in lib. de Gratia et libero arbitrio cap. XV. «Non autem ego, inquit, sed gratia Dei mecum, id est, non solus, sed gratia Dei mecum, ac per hoc nec gratia Dei sola, nec ipse solus, sed gratia Dei cum illo, quid clarius?»

Quartum testimonium sumitur ex iis locis, quæ docent, hominem a Deo vocatum, posse non venire. Nam cum per gratiam Dei possit venire, ut adversarii concedunt, si possit etiam gratiæ resistere, et non venire, sine dubio liberi arbitrii esse convincitur. Proverb. I: *Vocavi, et renuistis.* Matth. XXIII: *Volui congregare filios tuos, et non voluisti.* Joan. VI: *Vultis et vos abire?* Actor. VII: *Vos semper Spiritui sancto resistitis.* Apocal. III: *Ego sto ad ostium, et pulso, si quis aperuerit mihi, intrabo ad eum* (4).

CAPUT XI.

Probatum libertas arbitrii in operibus pietatis ex traditione Patrum

Accedat nunc ad rem eandem comprobendam traditio veteris Ecclesiæ. Et quidem Joannes Calvinus in lib. Instit. cap. III. §. 11. fatetur, nostram sententiam a multis jam sæculis in Ecclesia tradi, credique cœpisse. «Ac voluntatem, inquit, movet Deus, non qualiter multis sæculis traditum, et creditum est, ut nostræ sit electionis, motioni Dei obtemperare, aut refragari etc.» Ista autem multa sæcula intelligit, ut minimum spatium annorum supra mille et centum floruit. Itaque, vel adversario teste, sententia nostra non est a Scholasticis Theologis introducta, sed in veteri, et vera Christi Ecclesia celebrata, quod unum argumentum prudentibus hominibus satisfacere debuisset.

Quid, quod non solum ab annis mille et centum, sed etiam mille et quadringentis atque adeo ab initio Ecclesiæ eadem hæc

(1) Psal. XXVI, 9; Psal. LXIX, 2; Rom. VIII, 26. — (2) I Corin. XV, 10. — (3) Sap. IX, 40. — (4) Prov. I, 24; Matth. XXIII, 37; Joan. VI, 68; Act. VII, 51; Ap. III, 20.